

Quartum dari nequit, sed hisce tribus generibus, tota solventium familia continetur.

Menstruum aqueum nihil de calce auri solvet, nisi fortè adhærescentis salis extranei quicquam eluat. Menstrua quoque sulphurea, intactam relinquent calcem auri, idque adeò verum est, uti ipse Crollius istiusmodi solutiones, deliramenta vocare non dubitet.

Reliquum est ergo, uti menstruum solutivum sit è genere salium atque adeò corrosivum. Nul- lum enim menstruum salinum, agit in calcem metallicam, nisi corrodendo, Ratio hæctam cer- ta est, ac evidens, uti ipse Paracelsus disertè affirma- rit, aurum nisi corrosivo nequaquam solvi. At obstat quidam magni nominis Spagyrtus in An- glia, qui aurum suum potabile, quod conficit, cum solvente corrosivo conficere masculè infi- cietur.

Verùm is convincitur 1. à sapore sui auri potabi- lis, Id enim tam acre est, quàm sunt ipsa magisteria Coralliorum, perlatum, concharum, gemmarum cum spiritu aceti præparata. Secundò à modo a- ctionis menstrui in calcem ☉. Nam quòd ipse disertis verbis fatetur, solutio calcis auri fit, non nisi cum insigni ebullitione. At quid hoc est aliud, quàm corrodere & corrodi?

Tertiò denique ab eo, Quod aurum suum po- tabile, aëri frigidiusculo vel humidiusculo expo- situm facilimè colliquescat, quæ sanè res chara- cter est corrosivi minimè dubius, si quidem Para- celsus credendam. Neque verò tamen est, ut au- dito corrosivi nomine, statim quis cohorrescat. Quemadmodum enim in arte medica, purgantia tripli-

fol. 204.

Lib. de
Sita lon
ga cap.
de ☉
pot.

Franc.
Ant.

Lib. de
Sita re-
rum
natu-
rali.